UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 569. Ioannis Pap. Annus 10. Ivstini Ivn. Imp. Annus 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

ſtorica lege credenda. Ad poſtremum autem de Narſete Italiæ Duce quod refert Paulus diaconus, haud perfunctorie prætereundum eſt. *Hu quoque temporibus* (inquit a) *Narſes Patritius, cuius ſtudium ad omnia vigilabat, Vitalem Epiſcopum Altinæ ciuitatis, qui ante plurimos ad Francorum regnum, hoc eſt, ad Moguntinenſem ciuitatem confugerat, tandem comprehenſum apud Siciliam exilio damnauit*, hæc ipſe. Porro non tanta ſibi arrogaſſe Narſetem vicum piumi, vt in Epiſcopos manus iniiceret, quiſque ſciat, niſi cum id iuſſum ipſi fuit pluribus litteris à Pelagio Papa Ioannis huius prædeceſſore, prout quæ recitatæ ſunt ſuperius ipſius Pelagij litteræ facile demonſtrant. Pelagium vero ipſum ad hæc Narſetem excitaſſe conſtat, vt obortum recens ſchiſma ſedaretur: quod & iure faciendum eſſe, S. Auguſtinus aduerſus Donatiſtas agens, pluribus comprobauit. Fuiſſe autem tum Altinenſem, tum Aquileienſem Eccleſias temporibus iſtis in ſchiſmate, quæ ſuperius dicta ſunt atque dicentur, oſtendunt.

a Paul. diac. de Geſtis Longobard. lib. 2. c. 4. in fin.

DE VITALI EPISCOPO ALTINENSI IN EXILIVM DEPORTATO.

XV. Sed res Orientales obuias proſequamur. De Sophia Auguſta dignũ Chriſtiana fœmina facinus chronographi b hoc anno recenſent, nempe diſſoluiſſe nomina omnium debitorum: ait enim Cedrenus: *Tertio anno Sophia Auguſta accitis omnibus, qui ære alieno obſtricti erant, debita eorum creditoribus diſſoluit, & pignora ſuis auctoribus*, dominis ſcilicet *reddidit*. eadem in Miſcella. Præceſſerant hæc clamores pauperum à potentibus oppreſſorum: pro quibus cum Imperator ſæpius reſcripſiſſet, ſed nihil profeciſſet, violento tandem intellexit opus eſſe remedio: nempe vt vno ex ſublimioribus magiſtratibus pœnam dante, reliqui diſcerent aduerſus iuſtitiam nihil debere præſumi. Quodnam autem iſtiuſmodi remedium fuerit, Cedrenus exacte rem geſtam narrat his verbis:

b Cedren. anno 3. Iuſtini & Miſcell. auctor.

XVI. IVSTINI AD MAGISTRATVM ORATIO.

Iuſtinus hic cum cerebro ægrotaret, ac vertigine vexaretur, neque in publicum prodire poſſet: potentes quidam (quia ad Imperatorem querelæ de eis afferri non poſſent) nemini parcentes, omnium facultates diripuerant. Cum vero Imperator aliquando ſe recollegiſſet, atque in templum prodiſſet: ij qui iniuria fuerant affecti, miſericordiam ipſius magna voce implorauerunt. Omnibus ergo in curiam vocatis, Iuſtinus: Exiſtimabam, inquit, vos omnes pietatem colere, veſtrisque contentos, nemini egenorum iniuriam inferre: at vos & Deo & Imperio noſtro aduerſa patratis facinora. Hortor ergo vos, vt pauperibus ſua vitro reddatis, ne veſtra ipſorum bona amittatis. Potentes his auditis, tamen conſuetudine ducti deteriora etiam prioribus adiecerunt. Acris enim res eſt conſuetudo, quæ iam altera natura indicatur. Itaque cũ Imperator rurſum ad proceſſum prodiret, plures eum inuocabant. Rurſum igitur in progreſſu conuocato Senatu, dicit, ſi me à Deo putatis Imperatorem factum, eius auxilio imperare: parete iuſſis meis mandatis: iniuria afficere pauperes deſinite: ſolis namque poſſibus mortis eſt; vt validior & maior deuoret minorem. Quod ſi meis præceptis non parere, ſed in rapiendo veſtris obſequi vultis cupiditatibus, alium vobis veſtro arbitrio deligite Imperatorem. Ego enim contumacibus, iniuſtis, & aliena violantibus imperare nolo.

XVII. PRÆFECTVRA CONCESSA PRO DEFENSIONE OPPRESSORVM.

Ibi quidam procerum, libertate dicendi ſumpta, ita Imperatorem alloquitur: Conſtitue me coram omnibus Præfectum Vrbis, mandaque, ne cuiuſquam rationem potiorem iuſtitia habeam, vtque mihi te de rebus neceſſariis monituro ſemper aditus pateat: recipio mihi & in me, eſſecturum me intra menſem, ne vlla ſit vel illata in vrbe, vel accepta iniuria. Quod ſi quis profert culpam, quam mihi indicatam non punierim, capite me plecti iubeto. Pergratum hoc Imperatori fuit, eumque Præfectum Vrbis conſtituit. Is ergo cum magiſtratum inijſſet, & quædam vidua quereretur ſe à Magiſtro quodam omnibus ſuis facultatibus ſpoliatam: mittit eam cum ſigillo ad Magiſtrum illum, iubetque eum ad dicendam cauſam venire.

XVIII. EGREGIVM FACINVS PRÆFECT. VRBIS.

Cum eandem viduam Magiſter verberibus male mulctatam remiſiſſet: mittit Præfectus ad eum de Curſoribus vnum: ſed hunc quoque verbis deluſum dimittit: Interim dum Præfectus in Circo ſedet, Magiſtrumque opperitur: hic ad conuiuium ab Imp. vocatur. Eodem ſe Præfectus quoque confert, atque Imperatori. Si in eo Imp. perſiſtis, quod mihi mandaſti, ne cui eorum, qui pauperes conculcant, parcam: ſcito me promiſſis meis ſatisfacturum. Sin eos tu, pœnitentia ductus, amicos potius habes, & conuiuio adhibes: ſcias me quoque detrectare ea quæ in me recepi. Imperatore vero ridente, vti ſe ipſum potius ſolio detraheret, ſi ſontem talis criminis ſcir. Præfectus illico Magiſtrum vi abripiens, & in curiam, quæ Vrb. dicitur, cum eo abiit. Ibi diligenter vtriuſque ſermone conſiderato; cum haud leuibus iniuriis ab eo affectam mulierem comperiſſet: verberibus impoſitis homini caput raſit, aſinoque nudum impoſitum per mediam vrbem velut in triumpho duxit, & omnes eius opes mulieri addixit. Hoc exemplum reliquos ita in viam redegit, vt vbique ſumma in pace viuerent, atque intra trigeſimum diem neque actor vllus eſſet, neque reus iniuriarum. Tunc Præfectus Imperatori ſignificat, ſe promiſſa impleuiſſe, & Imperator in publicum progreſſus, cum nulla querela audiretur, reuerſus patritia dignitate eum ornat, & per omnem vitam Præfectum vrbis eſſe iubet. hactenus de his auctor.

XIX. Hoc eodẽ tertio anno Iuſtini Imp. cum Speſindeum Epiſcopus Primas Bizazenæ prouinciæ in Africa de ſuæ Eccleſiæ priuilegiis conſeruandis interpellaſſet Imperatorem, ipſe morem gerens in huncmodum ad eum reſcripſit c:

c Baron. N. ad ſi. Annal.

* Bizacenæ

IVSTINVS IMP. ALLEVA VVLT PRIVILEGIA ECCL. BIZACENÆ.

*Imperator Iuſtinus Aug. Speſindeum viro beato Archiepiſcopo Vizazenæ * prouinciæ.*

Cum & priuatis hominibus donata priuilegia pietas noſtra obſeruare curauerit: hoc ipſum multo magis & ſanctis Eccleſiis cuſtodiri neceſſarium eſſe putamus. Petiuit enim tua beatitudo per Enaſium reuerendiſſimum diaconum, diuinas regulas atque priuilegia data ſancto Concilio tuo, vel Eccleſiæ tuæ inuiolata cuſtodiri: Vt ſi quando contra clericos accuſatio præceſſerit, quæ pertinent ad diuinas regulas, non apud iudices ciuiles aut militares cauſa examinatio procedat, ſed ad tuam beatitudinem, ſicut & pater noſter per diuinos apices conſtituit. Quapropter ſancimus, ſecundum regularum diuinarum tenorem, atque diſpoſitionem patris noſtri, Epiſcopos, ſiue omnes clericos ſubiectos tuæ beatitudini; ſi accuſentur ab aliquo, ſub tua audientia ſatisfacere in his, quæ ad regularem ordinem pertinent: quia noſtra pietas hæc ipſa atque priuilegia data ſancto Concilio tuo prævidit confirmare.

XX. *Super hæc petiſti, vt quando opus fuerit ad noſtram pietatem tuos reſponſales dirigere, nullus eos prohibeat nauigare: quod & nobis placuit, vt nihil neceſſariorum lateat aures noſtras. Vnde licentiam tuæ beatitudini damus, vt quando opus fuerit aut Eccleſia tua, aut communi prouinciæ ad ſeruitutem noſtram aliquem tranſmittere doctorum cauſas neceſſarias, ſine aliquo impedimento dirigere eum; vt veritatem audientes, quicquid oporteat fieri, ſtatuamus. Alios vero Epiſcopos illius prouinciæ, ſi neceſſitatis cauſa emerſerint, ad nos dirigere, aut ad noſtram venire pietatem, cum voluntate Primatis hoc faciant. Hæc ergo tua beatitudo effectui tradere obſeruareque procuret. Legi. Data Kalend. Maij. Conſtantinopoli. Imperij domini noſtri Iuſtini PP. Aug. ann. III. Conſulatu eiuſdem ſecundo.* hæc quidem ipſe pio digna Imperatore: quibus huius anni rerum geſtarum finem imponimus.

IESV CHRISTI
Annus 569.

IOANNIS PAP. Annus 10. IVSTINI IVN. IMP. Annus 4.

I. QVingenteſimus ac ſexageſimus nonus vertitur annus Domini, ſecundæ Indictionis, itemque quartus Iuſtini Imperatoris: cum Liuba Rex Gothorum in Hiſpania, ipſius regni anno ſecundo prope dilapſo, collegam ſibi elegit fratrem ſuum Lewigildum, cui & ceſſit Hiſpanias, ipſe contentus regno, quo potiebatur in Gallia Narbonenſi. Erat Lewigildo vxor Theodoſia Catholica fœmina, eademque ſoror ſanctorum Leandri, Fulgentij, Iſidori, ac Florentiæ, filia vero Sueriani Carthaginenſem prouinciam moderantis, ſed nihil ex ſancto conſortio profecit Rex impius Arianiſmi tenaciſſimus. De tempore fidem facit idem S. Iſidorus d in Chronico, dum ait, anno ſecundo Iuſtini Imp. Liuuam * regnare cœpiſſe; & idem addit, eundem ſecundo anno ab adepto principatu aſciuiſſe in regnum ſocium fra-

d Iſidor. in Chronic.

* Liuba

rem Lewigildum. Vnde opus eſt vt ex eodem Iſidoro corrigas Iſidori depravatum in eo Chronicon, cum ibidem ſubditur, anno ſecundo Iuſtini vocatum ad regnum a fratre Lewigildum: vt quartus Iuſtini pro ſecundo ponendus ſit annus. De perſecutione autem à Lewigildo aduerſus Catholicos excitata ſuo loco dicturi ſumus.

II. Hoc iterum anno ſub Theodomiro Sueuorum Catholico Rege celebratum eſt in Gallicia Lucenſe Concilium, de quo perpauca hæc tantum monumenta habentur, Ambroſij rerum Hiſpanicarum luculenti hiſtorici diligentia nuper inuenta: *Tempore Sueuorum, ſub Æra ſexcenteſima ſeptima die Kal. Ianuarij, Theodomirus Princeps Sueuorum Concilium in ciuitate Luco fieri præcepit, ad confirmandam fidem Catholicam, vel pro diuerſis Eccleſiæ cauſis, &c.* quod inſuper recitat ex aliis ſcriptis exordium, cum ſpectare cognoſcitur ad ſecundum Lucenſe Concilium, de eo ſuo loco dicendum. In hoc autem actum rogatione Regis, vt noua inſtitueretur Metropolitana Eccleſia in Gallicia, quæ tamen eſſet ſubdita Bracharenſi: circumſcriptique ſunt in eodem Conuentu limites Lucenſis Eccleſiæ ad lites de finibus euitandas. Ita plane incaluit recens redditi Catholici Regis fidei ardor, vt totus eſſet in his, quæ ſpectarent ad fidem Catholicam illuſtrandam, conſeruandamq; in Eccleſia pacem; curaritque ſumma diligentia Neophytus Princeps, quæ ſunt abſolutiſſimi ſacerdotis.

III. Quod vero ad res Orientales pertinet, hoc ipſo anno quarto Iuſtini Imp. Tiberius Comes Excubitorum, qui poſtea Auguſtus creatus eſt, aduerſus Anares barbaros pugnans, eos vicit atque penitus debellauit, adeo vt eosdem pacem ſubmiſſe petere ab Imperatore coëgerit. hæc apud Victorem Tunnenſem in Chronico: ſed & horum meminit Corippus in carmine ad Iuſtinum his verſibus *a*:

Illa ſubmiſſa Auarum gens dura capillis
Horrida viſu, crudisq; aſperrima bellis
Imperio ſubiecta tuo ſeruire parata;
In media ſupplex defuſis crinibus aula
Exorat pacem, nec fidere millibus audet
Tot memoranda ſuis Romana laceſſere ſigna. Et infra.
Per numerorum cecidit cum magna tuorum
Perfida pars ita ſua: nunc marte peracto
*Victos, victisq; * famulantur in aula.* at hæc ſatis.

IESV CHRISTI
Annus 570.

IOANNIS PAP. Annus 11.	IVSTINI IVN. IMP. Annus 5.

I. SEptuageſimus ſupra quingenteſimum adeſt annus Domini, tertiæ Indictionis, idemque quintus Iuſtini Auguſti, qui & in ipſius conſtitutione annus *b* ſecundus poſt Conſulatum eiuſdem inſcribitur. Quo Appollinaris Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, vbi ſediſſet annos decem & nouem (ſecundum Nicephori Chronici rationem) ex hac vita migrauit. de quo non prætereant, quæ de ipſo apud Sophronium omni fide teſtata leguntur, cum contigit eum ſanctiſſimos viros ordinare Epiſcopos in Ægypto, quorum vnus è mortuis reſurrexerat. Res geſta ita deſcribitur *c* teſtificatione Zoſimi Cilicis magni anachoretæ:

Narrauit autem nobis (inquit) & hic ſenex, dicens: Ante annos viginti duos aſcendi in Porphycilem, volens illic morari. Accepi autem & diſcipulum meum Ioannem mecum. Cum autem illuc veniſſemus, inuenimus duos anachoretas, manſimusq; prope illos. Erat autem alter quidem ex his Galata nomine Paulus, alter vero Melitinus nomine Theodorus (ex monaſterio fuerant Abbatis Eutymij) ſerebant autem collobia ex pellibus bubalorum. Manſi autem illic ferme duos annos: diſtabamus ab inuicem quaſi duobus ſtadiis. Die autem quadam, cum ſederet Ioannes diſcipulus meus, percuſſit eum ſerpens, ſtatimq; defunctus eſt, ſanguinem ex omnibus partibus fundens. In multa igitur anguſtia exiſtens, abij ad anachoretas. Qui vt viderunt me turbatum & afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi: Quid eſt, Abba Zoſime? mortuus eſt frater? Dico: Ita ſane mortuus eſt. Venientes igitur mecum, videnteſq; ipſum in terra iacentem, dicunt mihi: Noli contriſtari, Abba Zoſime: adeſt diuinum adiutorium. Vocanteſq; fratrem, dixerunt? Frater Ioannes ſurge: quia ſenex te opus habet: Continuoq; ſurrexit frater de terra. Quærentes autem beſtiam & inuenientes, tenuerunt eam, & in conſpectu noſtro illam in duas partes diſruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zoſime, vade in Sina. Deus vult tibi committere Eccleſiam Babylonis. Continuo itaq; receſſimus nos. Cumq; veniſſemus in Sina, Abbas miſit me & duos alios in miniſterijs in Alexandriam: teneníq; nos Papa Alexandrinus beatiſſimus Apollinaris, omnes tres fecit Epiſcopos, vnum quidem Helyopoleos, alium Leontopoleos, me vero in Babylonem miſit. hæc de facta ab Apollinare ordinatione Epiſcoporum. Porro idem Zoſimus abdicauit ſe poſtea Epiſcopatu, & in Sinæ monaſterium reuerſus eſt, vt idem auctor teſtatur *d*. In locum vero ipſius Apollinaris Epiſcopi Alexandrini ſubrogatus eſt Ioannes. d Prat. ſpirit. c. 127.

III. Sane quidem frequẽtia fuiſſe miracula, quæ his temporibus Deus per Catholicos operabatur ad hæreſes deſtruendas, accipe ex relatione eiuſdem auctoris, cum ait *e*: *Dicebat ſenex quidam: Signa & prodigia vſq; hodie diuinitus in Eccleſia fiunt propter eas, quæ pullulauerunt & pullulant quotidie impias hæreſes, & maxime propter Acephali Seueri & cæterorum pernicioſa ſchiſmata, ad munimen ac firmitatem infirmarum animarum, atq; illorum ipſorum, ſi ita voluerint, conuerſionem. Propterea igitur à ſanctis Patribus, & beatiſſimis martyribus ab initio fidei hodie fiunt mirabilia in ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* hæc quidem ſcite, vtpote quod peculiaris hæc ſit dos Eccleſiæ, neq; cuipiam extra Eccleſiam poſito aliquando conceſſum, vt vera miracula faciat. Glorientur licet hæretici de argumentorũ captioſitate, quam præſeferunt, inſultent licet in Catholicos contumeliis: numquam tamen oſtendere poſſunt ſuam ipſorum veris miraculis confirmatam eſſe perfidiam, Dei voluntate ſignis oſtenſa. e Prat. ſpirit. c. 215. MIRACVLA CREBRA IN TESTIMONIVM FIDEI.

IV. At non prætereat de Apollinare Alexãdrino Epiſcopo illa his addere, quæ ipſius ſanctitatem commendent: Quod enim eius ingreſſus in Alexandrinum Epiſcopatum, pulſo Zoilo, viſus ſit Vigilio Romano Pontifici (vt dictum eſt) haud legitimus, ſed probroſus; rurſum vero ipſe vna cum Quinta Synodo, cui interfuit, cum fuerit æque receptus, purgata eſt labes intruſionis & inter germanos Alexandriæ Epiſcopos adnumeratus eſt, vt ergo eum oſtendamus magnæ quoq; fuiſſe virtutis; quæ de ipſo ex Sophronio narrata habentur, hic ſunt referenda: ſic enim ſe habent *f*: f Prat. ſpir. c. 193.

V. *Narrauerunt nobis de ſancto Abbate Apollinare Alexandrino Patriarcha, quod valde fuerit miſericors & compaſſionis viſceribus affluens: cuius rei indicium id aſſerebant. Erat (aiebant) Alexandriæ iuuenis quidam, qui primarij ciuis dignitate atque diuitiis clariſſimi filius fuerat. Parentibus itaq; iſtius defunctis, qui infinita illi bona tam in auro, quam in naualibus commerciis reliquerant, non ſatis feliciter & proſpere ea gubernans, perdidit omnia, atque ad extremam inopiam deductus eſt, cum neque gulæ, neque luxuriæ vacauerit (quæ ſolent diuitum exhaurire patrimonia) ſed in caſus varios atque naufragia inciderit. Itaque ex opulentiſſimo pauperrimus eſt effectus; iuxta illud Pſalmiſtæ: Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos. Namq; adoleſcens quanto fuerat pecuniis ſublimior, tanto per inopiam inferior factus eſt.*

VI. *Hoc audiens beatus Apollinaris, videnſq; in quantum miſeriæ & paupertatis adoleſcens delapſus eſſet, cum parentes eius fuiſſent locupletiſſimi: miſeratus illius caſum, exiguum ipſi charitatis impendere voluit miniſtrando alimenta: ſed erubeſcebat, & quoties videbat illum, in ſecreto conſcientiæ ſuæ angebatur, cernens veſtem ſordidam & luridam faciem, quæ ſunt extremæ paupertatis indicia. Cum igitur huiuſmodi curis angeretur Pontifex, die quadam diuinitus inſpiratus, conſilium profecto mirabile adinuenit ipſius ſanctitati maxime conueniens. Acceſſiuit itaque diſpenſatorem ſanctiſſimæ Eccleſiæ, ſeorſumq; illum alloquens, dixit ei: Poteris mihi ſeruare ſecretum, domine*